Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26089
Copyright: Admont, Benediktinerstift



peccatoribus puniantur. sed cum iustis et misericordibus peruenire ad eterna premia mereantur prestante domino nostro ihesu xpo qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat in secula seculorum. amen. Sermo unde supra.

Sanctam et desiderabilem et gloriosam ac singularem sollempnitatem hoc est natiuitatem domini saluatoris fratres karissimi deuotione fidelissima suscepturi. totis uiribus nos debemus cum ipsius adiutorio preparare et omnes latebras anime nostre diligenter aspicere. ne forte sit in nobis aliquot peccatum absconsum. quod et conscientiam nostram confundat ac mordeat. et oculos diuine maiestatis offendat. Nam licet xpc dominus noster post passionem suam resurrexerit. et in celum ascenderit. considerat tamen ut credimus et diligenter attendit qualiter se unusquisque seruorum eius. sine auaricia. sine superbia atque luxuria. ad celebrandam natiuitatem eius studeat preparare atque componere. et secundum quod unumquemque ornatum bonis moribus uiderit ita illi gratiam sue miscedie dispensabit. Si enim uiderit caritatis luce uestitum iusticie ut mie margaritis ornatum castum humilem misericordem benignum et sobrium. si talem perspexerit corpus et sanguinem suum